

Q.K.514,43.

M. Iugur titul my Syrfaun grz gm

Y a
467

M. CHRIST. GOTTHOLD WILISCH

Liebstadiensis

FAC. PHILOSOPH. IN ACADEMIA LIPSIENSI
ADSESSORIS

ORATIO AVSPICALIS

QVOMODO SCHOLARVM FLOS RESTI TVI POSSIT
QVA

RECTORIS
IN


SCHOLA ANNAEBERGENSI
OFFICIVM

IN SE SVSCEPIT

DICTA d. XIII. CAL. OCTOBR. A.R.O. MDCC XXI.

LIPSIAE,

Sumtu HEREDVM GROSSIANORVM.





Oratio Auspicata

VIRI

*Summe Reuerende, Excellentissimi
Consultissimi, Amplissimi, Pruden-
tissimique
Splendidissimi Rei Scholasticae Curato-
res*

*Dominiet Patroni obsequiose Reuerendi
Vosque Viri Sacri Muneris dignitate
maxime plurimumque venerandi
Ceteri Auditores sua quiuis dignitate
locoue aestimandi*

Et tutandem

*Noster Amor, nostra Spes, nostrum
Delicium*

Tu inquam

*in futuram Patriae, Ecclesiae, Reique
publicae salutem*

*Efflorescens optimorum Iuuenum Concio
Auspiciatissimumque Scholae Incremen-
tum*

Eit



St illud natura comparatum , Auditores,
vt rebus omnibus in sit quidam velut or-
bis, dum nihil firmum statumque est,
sed perpetuo quodam motu agitantur o-
mnia, ita quidem, vt ea saepe, quae
ad summum perducta sunt, rursus ad in-
fimum velocius multo, quam adscende-
rant, relabantur. Nolo ego in praefens
imperiorum rerumque publicarum
conuersiones; nolo scientiarum disciplinarumque, quibus in per-
tractandis quotidie versamur, fata et mutationes commemorare;
Plane enim, quemadmodum in ceteris rebus quaedam temporum
vices, ita et in his studiorum vertuntur: Sed ad scholas publicarum
rerum imaginem velut repraesentantes animum oculosque paullum
aduertamus. Fidem nobis profecto faciunt celebratissimae illae
scholae (vt de Graecorum Romanorumque ludis Litterariis iam pri-
dem dirutis nihil commemorem) quas maiores nostri, cordatisimi
mortales, tam operoso instaurarunt nisu, quas spectatissime
florentes cultissimasque et viderunt et admirata sunt tempora elati-
pla, quarum tamen haud paucae hac temestate nostra iacent, incul-
tae, desertae, et ciuibis suis orbatae. Vix vnius faeculi aetatem
tulit 1) GOLDBERGENSIS schola, quae nominis sui immor-
talitatem amplissimumque florem a primo Rectore suo, VALENTI-
NO TROCEDORFIO at quanto! na/cta est; 2) MONA-
STE-

1) Conf. Henclii Silesiographia renouata c. 7. p. 184. et celeberrimus Histo-
riæ scholasticae vindex atque conservator, GOD. LVDOVICI in Histor.
schol. P. I. p. 120. Qui etiam P. V. Historiam scholarum deperditarum
addidit. De antiquioribus vero in Germania olim florentibus scholis,
nunc vero plane subuersis videri potest IO. LAVNON. Theol. Paris: Li-
ber de scholis celebrioribus seu a Carolo M. seu post eundem Carolum per
occidentem instauratis, denuo cura summi Viri, IO. ALBERTI FA-
BRICII, Haub. 1717. in 8. editus.

2) Vid. MELCH. ADAMI in vitis German. Philosoph. 17. 2.

Oratio obsequialis

STERIENSIS, RVDOLPHI LANGII, graecarum litterarum in Germania restauratoris fere praecipui, opera et studio circa finem saeculi ultra decem quarti constituta, usque ad furores Anabaptisticos florens ac celebris mansit, nunc vero cineribus obsita iacet. Et quid ex alto arcessitis jam opus est exemplis, quibus ea, quae iam dixi, confirmentur. Vestram obtestor fidem, Auditores, Vos cordatos rei scholasticae Aestimatores et Patronos prouoceo, qui huic malo per quam late serpenti ex pio quodam in litteras adfectu indolescitis, et marcescentem scholarum florem mecum peracerbe deploratis. Quis enim est Vestrum, qui complurium scholarum splendorem periisse, imo etiam in cineres atque ruinam tractam esse quarundam dignitatem, nesciat, ut sine externo hoste cuersae miserum in modum atque excisae toti orbi spectaculum praebherent rerum humanarum? Neque vero existimandum est, subsistere hoc malum in minoribus, quae a trinio nomini habent, scholis, atque illas tantum splendore et prisca dignitate sua destitui: Ipsae quoque altiores Musarum sedes, quae artes omnes, omnia illustria studia, quae et admirabilem habent dignitatem, et pergratam utilitatem, sibi suo nutriunt atque souent, augustiora, inquam, illa gratiarum omniumque elegantiarum domicilia, eandem nobiscum fatrum et malignitatem experiuntur et vicisitudinem. Quemadmodum vero plerique de publica salute solliciti viri est, prospicere et curare, ut vacillans et labefactari coepta res communis seruetur et restituatur: ita omnibus, qui vel scholarum curam habent, vel in iisdem docendo desudant, incumbit, uti suo quisque loco, et quantum in se positum est, iis rebus studeat, quibus maior indies ac pulchrior scholarum redit stabilitas. Hoc vero ipsum, cui potius, quam mihi, qui pro muneri mei ineundi ratione dicere in hoc clarissimo eruditorum hominum confessu debeo, aut quando magis, quam hoc ipso solempni die, faciendum est, quo humeris meis Rectoris spartam imponi patior? Quiequid enim in me ingenii, Auditores, est, quod sentio, quam sit exiguum, et quantulacunque huius rei ratio alia ab optimarum artium studiis et disciplina profecta: Earum rerum omnium vel imprimis haec domus, haec schola, haec cathedra, ex qua

ultra quinq; annos ad pietatem atq; litterarum studia formari felici mihi olim contigit, fructum a me repetere suo iure debet. Postea igitur quam Vestra, Excellentissimi Amplissimiq; Rei huius scholasticae Arbitri, auctoritate cathedrae huius confundendae copia mihi facta est, ut sermone hoc munus ab Vobis haud ita pridem in me collatum auspiceret; nihil vel a persona, quam in me suscipio, vel ab hoc loco alienum faciam, si ea, quibus labefacti scholarum saluti subueniri queat, remedia breuiter recenserem. Id quod dum in Splendido hoc amplissimorum hominum confessu adgredior, per quam suauiter Vos mihi compellandos existimo. Dicam enim non verbis ad legem compositis, aut accuratiore tractationis delectu, sed sine verborum Cenociniis et absque omni variis luminibus exornata oratione, atque ut aliud ex alio in mentem mihi venerit: strictimque et carptim dicam, ne Vestram auscultandi propensionem et beniuolentiam quam spero mihi quic expeto, longiori sermone impediam, aut ipse met interuertam.

Cum igitur de flore scholis restituendo pauca iam disputare constitutum mecum sit, illud ante omnia mihi faciendum esse judico, ut, in quo flos scholasticus consistat, exponam. O quam diuersae vero hominum heic voluntates sunt distractaeque sententiae! Omnes, heic, ut Ciceronis herba in simili caussa huc traham, iudicare volunt: dux, centurio, praefectus, cohors, ~~litterarum~~, Iure consultus, medicus, mercator, artifex, homines studiis, moribus, vitae conditione, diuersissimi. Multi scholarum florem ex promissa et nigricante scholasticorum annis et aetate iam prouectiorum barba diuidant: multi ex prolixa discentium frequentia et numero: 3) alii, si quando iuuenes soluti ab omni disciplina et a bonis moribus detor-

3) Bene enim HUGO GROTIUS ad Balthicum mare Holsatos inter versatus, ad GER. IO. VOSSIVM Epist. p. 328. scribit: Litterarii ludi, qui hic sunt, nihil aliud sunt, quam bona mentis detrimenta, fertilis Midarum seges. Multi domesticis vtuntur Praeceptoribus, quod ipsum nec illis, ut vellent, succedit, nec mihi probatum est vñquam, qui sciam, sermonem non nisi in turba addisci, et frigere sine aemulis studia. Neque tamen, illae mihi placent Scholae, vbi vix Magister discipulorum suorum

detorti viuant: Alii, quando discipuli neglectis humanitatis et sapientiae doctrinis, studia ad saeculi formulam et genium accommodata tractare iubantur. Male feriatos hosce et iejune sentientes iudices sale perfricuit, atque publico scripto exagitauit Vir, dum viveret, rei scholasticae probe gnarus, 4) CHRISTIANVS IVNCKERVS. Rectius omnino et aequo iudicare mihi censentur Iouilli, qui tunc scholam vigere et efferre se pulcerrime putant, quae Scholarcharum tam sacri quam politici ordinis tutela et praesidio communita, atque variis beneficiorum atque liberalium hominum muneribus ornata de recta institutione gaudeat et disciplina ad virtutem bonosque mores formandos composita. Multa paucis dixi, Auditores, et haec ipsa sunt, quae scholis florem et dare possunt et restituere.

Primum igitur, quod huc pertinet, et praecipuum fere est eorum, qui rem scholasticam gubernant et moderantur, consilium, prudentia, auctoritas. Naus, quae prouido et cauto gubernatorum consilio regitur, secundo amne deferri et per aduersos fluctus felici atque tranquillo remigio in altum potest euehi. Non assimilis est nauigationi res scholastica, quae tum demum bene constituta praedicanda est, quando moderatores et ciuitatis rectores sibi habet fautores. Est haec omnino misis scholam ANNAEBERGENSEM incolentibus propria et veluti domestica felicitas, quod a primis statim incunabulis suis eiusmodi nacta fuerit et in hunc usque diem

nouit nomina, nec in tantum numerum diffusam curam sentire possunt singuli, pro sui quisque ingenii captu propriis quoque adminiculis egentes. Quare ut in aliis rebus, ita et in hac medium viam laudem, si decem, si duodecim pueri viuant vnius domus, vnius mensae, vnius institutionis participes, iusta societas, quae sufficiat sibi, Praeceptorem non oneret. Talia collegia sin alicubi quaerenda sunt, certe Amstelodami, in vrbe optimis semper legibus, parte etiam studiis florentissima.

4) In programmate quodam scholastico de SANAE ET MALES SANAE MENTIS IUDICIO circa id, quod vulgo appellare solemus: FLOREM SCHOLAE &c. quo Vir hic Cl, diuersum hoc iudicium inuicem sibi oppositum in tabula repraesentat,

8

diem colat et veneretur patronos atque hospites, qui boni publici
amantissimi litteras iisque operantes ingentibus beneficiis cumula-
tissime adfecerint, adficiant adhuc, et quicquid scholae saluti con-
seruandae promouendaeque inseruire potest, laetissimo luben-
tissimoque animo exequantur. Gratissimo in Patronos animo incluti
Senatus ANNAEBERGENSIS merita in scholam sermone quodam
publico praedicauit frater meus, cum eandem, quam nunc
auspiciis diuinis in me suscipio, exueret personam, eademque ad
posteritatis memoriam litteris 5) reliquit confignata. Diuina pro-
fecto et immortalia IUSTI FREITAGII sunt merita, quippe qui
vir prudens et consulari dignitate conspicuus omnem nauauit ope-
ram, vt in scholae formam coirent musae, atque vti ciuium filii ho-
spitesque haberent, vbi ad virtutis et bonarum artium doctrinam stu-
diofissime fingerentur. Par i nisi maiori laude posteris commendandus
est MATTHAEVS KLINGEISENIVS. Medicus, Senator, et
Scholararcha cordatisimus, cuius tanta in scholam atque omnem rem
litterariam, nostram imprimis Bibliothecam publicam, admirabi-
lem et oculis cariorem nobis thesaurum, merita exstant, vt nulla
vnquam aetas de laudibus eius debeat aut poscit conticescere. Et di-
es nos citius, quam dicendi materies desereret, si, prout ordo et
annorum series postulat, omnium ciuitatis nostrarae patrum erga mu-
fas nostras merita in memoriam vobis reuocare nunc vellemus. Qua-
re potius nos, ne aut defunctos memorando inique praesentes praे-
tereamus, aut praesentes laudando adfectasse gratiam aliquam, aut
iactantius glorioiusque fecisse, videamur, non recensere, sed suspicere
volumus hanc virtutes et admirari. Et quid dicam de iis, qui sacrorum
praefides scholae nostrarae commoda et felicitatem pervigili studio
semper curarunt. Praegestit et tacito quodam perfusa voluptatis sensu
mens mea exultat, quando IVVM KVNADE celeberrime, labo-
rem, curam et solitudinem scholae florem augendi affectu gratissi-
mo me ditatur.

Se-

5) CHRISTIANVS FRIDERICVS WILISCH in oratione
solemi de Meritis Senatus Annaebergensis in rem scholasticam,
qua Regimen Lycei Annaemontani depositus, edita Lipsiae 1715.

Secundum ab hisce locum iure suo meritoque tenet
 ciuium munificentia , quae bonae mentis filios, cum pauper-
 tate conflictari solitos, reficere , alere , et nutritre non detre-
 stat. Fingite modo , Auditores, coustatam in vrbe ex rudi et
 agresti hominum genere turbam , aut lucro iibiantes auriquo
 sacra fame contabescentes ciues, quibus omnia liberalium ar-
 tium studiis potiora sunt , quiue numos , quorum satietas eos
 nunquam capit , in quaestu relinquere, vel auaris abditas terris
 laminas ferreis adligare malunt catenis , quam in docentium
 stipendia , et ingenuorum iuuenum alimenta erogare ; repe-
 rietis fane , in eiusmodi locis scholas nullo modo florere
 posse. Subleuandi igitur sunt a ciuibus Pallados filii egen-
 tiores, hospitio conuictuque excipiendi , liberaliter habendi
 fouendique, et teneris iuuenum moribus formandis adsuefa-
 ciendi , si scholam ciuibus in futuros patriae usus educandis
 videre gestiant frequentem atque abundantem. Et hoc quo-
 que nomine nostra omniumque laude digni sunt ciues A N-
 NAEBERGEN S E S. In perpetuam beneficentissimorum
 hominum memoriam haec in musas nostras liberalitatis do-
 cumenta conseruant adhuc scriptis memores fasti nostri et
 diutius ad aeternam nominis ipsorum immortalitatem con-
 seruabunt. Bene fit, precamur, diuinis S V E V I O R V M,
 RICHTERORVM, KNOETELIORVM, ceterorumque,
 qui ad sustentandos scholae huius doctores stipem singuli su-
 am contulere, Manibus. Bene fit, precamur, sanctis illorum
 Manibus , qui verbis non satis laudandum beneficium illud
 instituerunt, vt duodecim alumnis de vietu, hospitio, vestitu
 aliisque necessariis , (praeter decem adhuc pueros a mendicando nomen sortitos) prospiciatur. Nec hodieque, sper-
 mus, nobis deerunt honesti ciues, qui nobis omnibus ad be-
 ne de ipsorum in nos affectu et propensione sperandum quasi
 signum aliquod tollant, atque pro sua , quae diuinitus ipsis
 concessa est, opum mensura scholae nostrae incolas beneficiis

liberaliter complectantur. Satis prolixo, credo, quid Vobis, Auditores, vt bene sit scholae nostrae, faciendum, sermone enarraui; postulat nunc rerum dicendarum ratio, vt paullo proprius ad me ipsum et illos, qui laborum mecum iuncti sunt vinculo, accedam edisseramque, quid a nobis praestandum sit, vt iuuenes curae nostrae fideique commissi recte in litteris instituantur, et bene fiant morati.

At enim vero haec duo, bona institutio et disciplina, neque seuerior neque solutior, omnes magistri scholastici virtutes in se complecti mihi censemur. O quantus igitur denuo patescit mihi dicendi campus, si singula haec prolixo ordine recensere vellem et commemorare. Verum de singulis paucissima. Ad rectam itaque institutionem requiritur in primis sufficiens rerum docendarum cognitio, easque perspicua et facili ratione proponendi tractandique felicitas. Vtrumque vt in scholis docturis consequatur, propensius in omnem curam incumbat semper necesse est et cogitationem. Falluntur heic magnopere illi, qui eiusmodi homines vel nugas tantummodo et tricas scholasticas, quas peregrino vocabulo Paedantismum vocant, vel omnes eruditio-
nis copias exhaustire debuisse putant. Ego, si quid recte hac in re sentio, illos feliciter et cum fructu iuuentutem docere posse crederem, qui praeter linguas atque artes, quibus aetas iuuenilis ad humanitatem et sapientiam informari solet, probe a se cognitas et exploratas, in totius in vniuersum eruditio-
nis et singularum eiusdem partium cognitione non exascia-
ta, aut omnibus absoluta numeris, sed aliqua et generali ver-
fantur, et vt tribus verbis omnem rem hanc expediam, illi, qui vitae, non scholae, disseendum esse, docent et profitentur. Rectissime mihi, nisi in omnibus, in plurimis tamen sentire heic creditur felicissimus ille tot et tantorum in litterata republica heroum parens et ingeniorum eruditissimorum formator, CHRISTIANVS VVEISIVS, quando suae
in

in docendo methodi rationes ita (6) explicat: *Ad vitam potius, quam ad scholam singula compono: ne quid discatur, quod vel in ipsa functione superuacanum sit, probibeo.* Res decentium culpa difficiles facile, controversias irenice resoluere conor. *Impossibilia iuuenibus non obtrudo: binc antiquis ostendem veneror, ne tamen recentioribus nostris studiis noceat, caueo.* Bonos Autores explico, non, ut formulas servili obsequio colligam, sed, ut fontes, unde formulas petierint, ostendam: Rerum ac disciplinarum qualemcumque notitiam urgeo, ne loquentibus loquendi de sit materia, sed ad stylum requiri sciant, et conceptuum solertiam et verborum concinnitatem. Memoriam, iudicium, quin et loquendi scribendique facultatem, habescere non patior. Ut extemporalitatis praecipua requisita strenue colant, moneo. Ha-
ctenus VVEISIVS. Haec autem eruditio, si ex vsu scholae esse debet, comitem secum ducat iociamque perspicue, clare, et copiose docendi dicendique facultatem; vt ad id, quodcunque doceant, atque ad audientium captum accommodare possint orationem. Quemadmodum vero iuuenes in scholis non erudit tantum, verum probi etiam Christiani, ciues honesti, et in consuetudine cum aliis faciles fieri debent et amabiles; ita magistrorum est, non modo in auditorum studia, sed in eorum quoque mores inspicere: docere iuuenes, vt ma-
ture rectum virtuti pretium statuere incipient; languentes excitare, currentes, vt nobiles et generosos equos, virgae um-
bra regere, cohortes vitiorum profligare, quae soluta a veteri disciplina vel a bonis moribus detorta, restituere ac emendare, atque in omnes partes vigiles oculos circumferre, ne per longos mores mala inualecant. Multum autem imo omne heic ferre solet punctum de hominum animis coniectandi peritia, vt sciamus, quando et ferocietatem iuuenum impetum vel aculeatis, vel comitate et facilitate mollitis verbis compescere et refre-

B 2

nare;

6) In epistola ad V. Celeberr. GOD. LUDOVICI recensita in
Nou. Lit. Germ. mens. Jun, A. 1705.

nare; et aliorum torporem atque inertiam excitare vitamque iisdem et spiritum quasi dare sit consultius. Et quis omnem vitiorum iuuenilium sentinam dicendo exaurire vellet? Magistrorum, probitate, virtutum splendore, morumque elegancia conspicuorum exemplum, (7) in quod iuuenes intueantur, sibiq; inde, quod imitentur, capiant, inde foedum inceptu, ~~foe-~~
 dum exitu, quod vitent; Magistrorum patientia, ut difficulter exanimi sui tranquillitate dimouendi fint, et circa pectus aes triplex habeant: Magistrorum grauitas comitate condita, qua suum cuique, bonis facilitatem, seueritatem vero malis, tribuere norint: Et tandem poenae, quibus ea, quae dilapsa iam fluere incipiunt, vincienda et ense veluti recidenda sunt, ne sincerae et bonae mentis homines inficiantur et corruptantur: Haec, inquam, omnia ad mores vel formandos vel emendandos plurimum conferre possunt. Illi profecto, ut pauca modo adhuc addam, in Scyllam incident, qui nimiae lenitatis Charibdim euitare cupiunt, dum in iis, qui aliqua culpa erroris iuuenilis tenentur, probrosis verbis, conuitiis, plagis, verberibus et nodoso baculo singula peccatilla compensant. Neque vero eo velim ut haec trahantur, quasi ego omnem disciplinae usum ex scholis vellem relegare. Nullus in scholis flagitiorum sit patronus, nullus custos licentiae et defensor aut propugnator: si qui mali sunt, exeant, et consulere sibi possunt: qui vero impietati, libidini, compotationibus, et ignorantiae se se mancipare volunt, sentiant, doctores adesse et magistros improbitatem et vitia pati indociles, adesse poenas scholasticas, adesse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerunt. Igitur effrenem tantum iram improbo atque contemno. Nulla enim tamta

7) Multa hanc in rem legi possunt egregia et selecta in Vita I V S T I A D R A N S F E L D , quam Gener tanto socero dignissimus , GE. NICOL. KRIEGK , alter Hercyniae NEANDER , edidit, p. 446. et seq.

ta vis est, quae non ferro, viribus, et temporum vetustate debilitari frangique posset; verum animum vincere, iracundiam cohibere, temperare effervescentes animi impetus, habens semel iterumque iuuenum cupiditatibus laxare, suoque iusto tempore adstringere, haec, qui faciat, eum ego ad prudentissimorum rei scholasticae doctorum felicitatem peruenire existimo. Didicisse igitur debent eiusmodi homines a teneris vnguiculis et in primo aetatis flore iram et immoderatas animi affectiones domare et compescere. Quemadmodum enim illi, qui obsidionem expectant et auxilia aliunde comparanda desperant, necessaria congerunt atque deponunt intus; ita maxime oportet ea, quae aduersus iram faciunt, eminus e philosophia et theologia petita in animum tempestive comportare, quorum quippe non facile datur facultas, cum eorum usus exposcitur. Neque enim audit ob tumultum tunc animus, quae foris sunt, nisi intus sit moderata.

/ us

Verum enim vero omnis fere publica et doctrina et disciplina irrita erit, nisi utraque suffulta fuerit domestica et paterna educatione, quam allegasse modo, non prolixius expusisse interest, ne Vesta in audiendo abuti videar propensione.

Parum enim abest, Auditores, quin crederem, me Vobis impium et in Deum in gratum videri, quod, dum de flore scholis reddendo loquor, nullam Dei iniiciam mentionem, quippe qui gratia sua coelesti florem et augmenta dare solus potest et conseruare. Deus enim optimus maximus, qui in ciuitatem hanc, urbium in agro montano nobilissimam et copiosam, atque in hanc scholam eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis olim florentissimam benigno suo Numine ingentia beneficia congesit: qui inter bellum, tempestates, inter ignes, et inter tot alia saeculi mala scholam hanc saepe (8) ad paucos

B 3

red-

8) De paucitate discentium publice questi sunt GEORGIVS ARNOLDVS et IO. IACOB. STUBELIUS, quorum


redactam paene ab interitu vindicauit semper, propitius porro nobis erit suis muneribus et iuuentutis pectora ad bonas praeclarasque artes inflammabit, facietque uti et suis et patriae tandem usui aque ornamento fiat. Et haec est illa spes, quae me in hac palaestra leuis armaturae minusue exercitatum militem sub muneris mei per mihi ardui et praeagrauis initio recreare solet et refocillare. Haec est illa gratia diuina, quae am desidero, quam exoro, quam anxius expecto, quae mihi praesens si fuerit, non aerumnae, non curae, non vigiliae, non labores, animum hunc, at quantillum! frangent aut immittunt: quae si praesens fuerit, non varia iudicia, non contemptus, non vituperia, non ignominia, non risus: non molesties negotiorum noua in singulos dies varietate ac molestiis fertilis: non iumentutis petulantia et ferocia, non libido hominum samam alienam suum dedecus aestimantium, cupidam hanc meam bene merendi de omnibus inflectent mentem, quin noctes atque dies etiam atque etiam animo prospiciat, quoniam modo salus scholae conseruanda sit et communienda. Et haec est eadem illa gratia diuina, quae Vobis quoque, Amplissimi scholae huius Patroni, hanc dedit mentem, ut omne Vestrum studium, omnis opera, omnis labor, omnis industria eo tendat, quo non communis tantum omnium salus, sed scholae quoque felicitas iucundior nobis laetiorque quotidie redeat. Mihi quidem tantum non est flumen ingenii neque tanta vis aut copia, quae exornare merita Vestra possit; illud tamen sine adulatio[n]is vitio adfirmo, nullam esse laudem Vestram ampliorem, quam eam, quam sollicitudine, cura et labore, quibus scholae florem factum rectumque conseruare intensissime studetis, consecuti estis. Sub Vobis igitur Vestroque praesidio omnes molestias, odia, dimicationes et quotidianos profligatorum hominum

antecessorum in Rectoratu Annaebergensi nostrorum Manibus
 bene precamur.

num impetus, in quos obiicere me iubet officii ratio, non sor-
 bere solum, sed concoquere etiam facile mihi erit et iu-
 cundum. Quae voluptas mea egregie crescit, quando Vos
 intueor, Viri Clarissimi et mei nunc Collegae honoratissimi,
 quos in mutui amoris, fidei, laborum, omniumque officio-
 rum, quae amici ac Collegae suo quisque ordine sibi inuicem
 debent, societatem prouoco. Restituenda nunc est germa-
 na neque fucata illa inter nos fides et concordia, pacis vin-
 culum et felicitatis. Eidem seruimus Domino, eodem fun-
 gimur labore, eundem habemus gregem: idem igitur nobis
 fit animus, eadem mens, eadem sententia. Iam fracta
 sit omnis dissensio etextincta, expedit, vt vnum omnes ve-
 limus, idem sentiamus, si modo habemus aliquid non modo
 sapientiae sed etiam sanitatis. Gaudemus inter imbrues et
 tempestates, inter procellas et turbines, inter fulmina et to-
 nitrua. Seruiamus Deo, seruiamus Patronis, seruiamus pa-
 triae, seruiamus iis etiam iudicibus, qui multis post saeculis
 de nobis iudicabunt: Vno verbo, iuuenes nostros timeamus,
 nec classem, nisi tribunal, ingrediamur: non, quod imperi-
 tos decipi posse dubitemus, sed quod nonnullos aliquando
 nouerimus nostros fore iudices, qui certe prudentiores fa-
 cti nostros et successus, et conatus, et defectus non dissimu-
 labunt. Tandem, vos quoque, optimi iuuenes, adloquor.
 De vestra salute iam agitur, vobis seritur, vobis metitur.
 Nullam ego aliam laborum molestiarumque mercedem,
 non laudis aut gloriae, non lucelli cuiusdam, sed vestram
 salutem, vestra commoda, mihiique recte factorum memo-
 riam, id est, illaesam conscientiam desidero. Quae in me
 posthac atque omnes doctores vestros vestra sit pietas, plu-
 ribus vos non praemonebo: ego vobis pater, vos mihi filii
 eritis. Ebullit mihi, credite, paterno in vos affectu sanguis
 in venis delitescens et exultat, vos tenerrime et impensis-
 me diligere, vos complecti, non in oculis, sed in sinu et pe-
 ctore

(x2311525)

Uta 467 51
Etoe souere , vos erudire , vos ad pietatem et morum ele-
gantiam formare , et tandem vos singulos atque omnes (quod
Deum precor ardentissime) ad aeternas beatissimarum men-
tium sedes mecum ducere , vbi ego quoque vobiscum ad
doctoris nostri , IESV CHRISTI , pedes vere diuinam
et sine labe perfectam sapientiam edocebimus . Quae qui-
dem ego , neque mea prudentia , neque humanis consiliis
fretus , polliceor vobis , O meis ! sed multis et indubiis Dei im-
mortalis promisionibus , qui praeſentissimus ſuo Numine
atque auxilio hoc ſuum ſpiritus sanctissimi templum , atque
haec Bonae Menti ſecta conſeruabit . Quem Vos , Auditores ,
precarī , venerari atque implorare debetis , vt vrbeſ hanc
pulcerrimam , atque ſcholam noſtram tueri velit ſemper
atque reddere florentiſſimam .



MC



Q.K.514,43.

Y
467

M. CHRIST. GOTTHOLD WILISCH

Liebstadiensis

FAC. PHILOSOPH. IN ACADEMIA LIPSIENSI
ADSESSORIS

ORATIO AVSPICALIS

QVOMODO SCHOLARVM FLOS RESTITVI POSSIT
QVA

RECTORIS

IN

SCHOLA ANNAE BERGENSI OFFICIVM

IN SE SVSCEPIT

DICTA d. XIII. CAL. OCTOBR. A.R.O. MDCC XXI.

LIPSIAE,
Sumtu HEREDVM GROSSIANORVM

